

**Tentamen inaugurale de quibusdam foetui propriis ... / Eruditorum examini  
subjicit Joannes Nimmo.**

**Contributors**

Nimmo, John, active 1804.  
University of Edinburgh.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et Socii, 1804.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/b9uucw67>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

---

TENTAMEN INAUGURALE

DE

QUIBUSDAM

F O E T U I

PROPRIIS.

---

TENTAMEN INAGURALE

DE

QUIRUSDAM

F O E T U I

PROPRIS.

9

TENTAMEN  
INAUGURALE  
DE  
QUIBUSDAM FOETUI PROPRIIS;

*QUOD,*

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;*

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES NIMMO,

*SCOTO-BRITANNUS.*

---

*“ Non sum, qualis eram.”*

HORAT.

---

vii. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

---

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCIJ.

---

1804.

TENTAMEN

IN AUCURALE

DE

QUIBUSDAM FORTIUS PROPRIS

EXPOS.

ANNUENTE SEXIMO NUNCI

EX HOCOTATA REVERENDI ACADEMIAE

D. GEORGI BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIE EDINBURGENSIS PRAESENT

RECTOR

ACADEMIAE SEXATVS ACADEMICI COUNCIL

NOBILITATIS MEDICAE COUNCIL

PRO GRADU DOCTORIS

SEXATVS IN MEDICINA HOCOTATA DE PRINCIPALIS

ALTE ET LEGITIMUS CONCORDANT

ACADEMIAE SEXATVS COUNCIL

JOANNES NUNCI

PRO-RECTOR

“New York, 1861”

Hocotata

via Calcedon Jolas, hocotata obit.

EDINBURG

EXORDIANT ADAMUS NUNCI ET SOCI

1861.



JACOBO JEFFRAY, M.D.

ANATOMIÆ ET CHIRURGIÆ

IN

ACADEMIA GLASGUENSI

PROFESSORI,

JOANNES NIMMO,

S.

MIHI, medicinæ imperito, rei anatomicæ studium  
prosequendi viam monstrârunt tua præcepta. Tuæ de  
fœtu prælectiones primùm mihi suggesserunt, quibus  
innituntur, quæ hâc in disputatione tradidi.

Sed te non solùm præceptore, sed et amico, usus  
sum. Ut inceptum, te duce, anatomix studium pro-  
sequar, et sim memor amicitix cùm in me collatæ,  
tum in carum avunculum et defletum patrem, precor.

Paucula hæc, de quibusdam fœtui propriis, tibi di-  
cata benigniter accipias. Etiam si te parùm digna vi-  
deantur, utinam persuadeas, grati saltem animi monu-  
mentum esse, et tibi nullum me devinctiorem. Diu  
vivas et floreas. Vale.

JACOBO JEFFRAY, M.D.

ANATOMIE ET CHIRURGIE

IN

ACADEMIA GLASGOWENSIS

PROFESSORI

JOANNES NIMMO,

S.

MIRI, medicina imperio, rei anatomie studium  
prosequendi vobis commendamus hoc prescriptum. Nos de  
sua perfectione priusquam vobis commendamus, quibus  
insinuat, quae hic in disputatione tradidi.  
Sed et non solum prescriptum, sed et amicos, nos  
sumus. Et insuper, de hoc, anatomie studium pro-  
sequatur, et ad hoc, medicinae studium in me collatum,  
tunc in carnis avancementum et desiderium pariter, precor.  
Pactis hinc, de gallicantu vobis propriis, tibi di-  
citur benigniter accipias. Itaque te pariter dignus vi-  
deatur, utrumque prescriptum, quod vobis animi mem-  
orandum est, et ad hoc, nos devotissimus. Vbi  
vires et flos.

THOMÆ CAROLO HOPE, M. D.

IN

ACADEMIA EDINENSI

CHEMIÆ PROFESSORI ;

SCIENTIA TAM MEDICINÆ, QUAM CHEMIÆ

EXIMIO ;

HOC

OBLATÆ BENIGNISSIME AMICITIÆ

PERTENUE MONUMENTUM,

GRATO ANIMO,

OFFERT

JOANNES NIMMO.



THOMAS CAROLO HOPE, M.D.  
IN  
ACADEMIA ADIUVANS  
CHEMIE PROFESSOR;  
SCIENTIA TAM MEDICINAE, QUAM CHEMIE  
Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library  
COLLEGE BENEFICENT SOCIETY  
TERTIUM MONUMENTUM  
GRATO ANIMO,  
OFFERT  
JOANNES NIMMO.

TENTAMEN  
INAUGURALE  
DE  
PROPRIA FOETUS PHYSIOLOGIA.



*DE SANGUINIS NATURA IN FOETU.*

§ I. **S**ANGUINE animalium nascuntur perpetuò mutationes. Sufficiendo partibus omnibus corporis, quo nutriantur ac mole augeant, decrescit quantitate; ratione partium componentium, efficiuntur mutationes haud levis momenti, rebus separatis usui machinæ accommodatis, vel e foris redditis integræ valetudini infestis. Amotum pabulum  
A compensatura,

compensatura, et hisce morbidis obviam itura permutationibus, quæ, ex flumine sanguinis circulum explicante, seriùs ociùs in ejus natura acciderent, materies influit concocta.

II. Æquè, ac nutrimenti suppetiæ, extat munus respirandi; imò plùs, quàm pabulum, requiritur. Pro tempore vel perexiguo si coërcetur spiritus, sentitur anxietas vehementissima, exitium mox illatura. Ad pulmones adulti sanguis venit purpureus; colore coccineo imbutus, decedit: hâc mutatione redardescit flamma vitæ, et novo ardere splendore citatur.

III. In tracheam et cellulas bronchiales aëri conceditur via; et, vi muscutorum inspirationis et expirationis, per alternos recursus inflantur, et subsidunt vicissim pulmones. Per membranam vasorum pulmonalium pellucidam, edit sanguis purpuratus naturas nocivas, quas circuitu acquisivit: lætè rubescit, mutationes in natura propria indicans, quas sigilla-

tim



tim memorare a meo proposito multùm abest ;  
quanquam, ex magnitudine, sint consideratio-  
ne summâ valdè dignæ.

iv. Ratione habitâ ad modum quo, viribus,  
quibuscunque pollet aër, sanguis objicitur,  
manifestum est, gradum mutationis coccineæ  
pendere e pluribus rebus quas physiologi no-  
târunt, et quæ, si de respiratione et ejus legi-  
bus tractare nobis esset in animo, certè omnes  
vires postularent.

v. Haud minùs requirit fœtus talem in san-  
guine mutationem, qualis, in pulmonibus au-  
ram ducentis, accidere demonstrata est. Im-  
matura æquè oritur mors, ex flumine inter-  
cluso, organum versus properante quod, ad  
mutationem hanc perficiendam, constituitur ;  
ac ex causis, quæ respirationem in adulto si-  
stunt.

vi. Fœtus in utero, ubi primùm vigescit, cir-  
cumfuso pendet in humore, membranâ quadru-  
plice

plíce inclusus. Aëre circumfluo prohibito, munus respirationis, ut in adulto, nequit absolvi; et muscoli, officio futuro designati, ad fibras contrahendas non excitantur. Demissæ quiescunt costæ, cartilaginibus sterno conjunctæ; artificio hoc porriguntur muscoli intercostales; diaphragmate, fibris simul extensis, intra margines costarum inferiorum protruso. Constans est contractio horum musculorum in adulti inspiratione, deinceps, in expiratione, ordinata contractionem sequitur relaxatio: in corpore autem foetus hæc munera non exercentur; vim contractilem recondit fibra muscularis, donec tempus, foetum a parente reddendi, venit, quando se indicat conatu qui relaxatione non cessat alternari, dum, editâ ultimâ animâ, relaxet iterum non contractura.

VII. Quanquam pulmonibus foetus aër non permittitur, etiamsi muneri respirationis obstat, mutationes naturâ haud absimili efficiuntur. Admodum variat artificio, per quod



quod hæ peraguntur, ut accommodet se ad statum, quo tantùm differt ab adulto, corpus foëtûs.

VIII. Materia, nomine *placenta*, paratur, cui graves usus, quibus inserviunt postea pulmones, brevi tempore committuntur. Loco distat a corde foëtûs; ex quo sanguinem, per duas arterias umbilicales accipit; quæ ab iliakis internis exsurgunt, viâ laterum vesicæ urinaræ et partis abdominis anticæ ascendunt; deinde, umbilicum transeuntes, partem funis constituunt principem; et, ad placentam appropinquantes, in ramos surculosque distribuuntur per totam illius fabricam.

IX. In placentam penetrans, modificationes purificantes subiturus, nullum tangit aëra sanguis, tali tenui interpositâ membranâ, qualis in adulto cellulas bronchiales circumcingit; non fluit in vasa materna purpuratus; non accipitur coccineus in venam umbilicalem, ad foëtum rediturus. Materna placentæ pars ex arteriis et  
venis

venis constat ; per illas, sanguis floridus eò conducitur ; per has, e contrario, in corpus maternum purpureus reducitur, iterum mutandus. Tunicas arteriarum placentæ maternas translucidas amplectentia<sup>es</sup>, se distribuunt arteriæ foëtûs, purpureum a corpore hujus abducentes ; efficitur dissociatio mutua : sanguis matris, e coccineo, purpureo tingitur colore ; dum, per venam umbilicalem, ad foëtum pertinentem, redit sanguis multo coloris profundè purpurei privatus. Sic mutationes, veluti a respiratione, in sanguinem nondum spirantis, eveniunt.

x. Si discrimina, quoad conditionem comparativam, attentè perlustramus, varietas quædam, quoad mutationes quæ efficiuntur, prospiciatur. Causæ, quæ mutationibus in placenta limites ponunt, valdè differunt ab iis quæ in pulmonibus adulti. In hoc, ab attractione quâ pollet sanguis, et a causis quæ melius sub respiratione veniunt disceptatu, pendent mutationes salutiferæ. Minimè in illo ; illius enim



enim sanguis sanguini matris coccineo appropinquat ; ex quo accipit naturas rubefacientes, vel eidem impertitur purpureas. Sanguis foetus sanguini accedit qui, vi propriâ attractionis, illas conservare conatur. Hæc attractionis vis affinitate sanguinis foetus purpurei superiore superatur. Quo majus oneratur hisce naturis sanguis maternus, eo minore, eas retinendi, vi gaudet ; e contrario vires, quibus sanguis foetus purpureus naturas conatur induere coccineas, sunt majores minoresve, pro majore minoreve coloris dissimilitudine. Incipit dissociatio, et ei finis imponitur tantum, quando sanguis, inclusus in arteriarum foetus parte placentali, eundem colorem cæterasque naturas, quibus gaudet maternus, accepit.

XI. Gradus mutationum in sanguine venæ umbilicalis pendet, non ex attractione, quam hic, erga qualitates rubescentes, habet ; æquat, sed non transcendere potest, naturam sanguinis, qui, viâ venarum ex placenta, matrem versus redit.

XII. San-

XII. Sanguis, maternis in arteriis placentæ, sanguini foetûs tribuit dotes, quibus differt matris coccineus a purpureo, sive is arteriarum et venarum hypogastricarum. Sanguis, arteriarum umbilicalium, his naturis acceptis, sanguini venarum hypogastricarum purpureo fit æqualis. Tanto inter se discrepant sanguis ab umbilico exiens, et sanguis intrans viâ venæ umbilicalis, quanto sanguis arteriarum et venarum uteri ipsius ; ideoque necesse est, inter sanguinem matris coccineum et foetûs purpureum, discrimen esse duplò majus eo, quod, in placentæ vasis, inter sanguinem matris coccineum et purpureum, subsistit.

XIII. Arteriis iliatis internis exsurgunt arteriæ umbilicales ; hæ ab aorta. Per canalem hunc magnum transmittitur sanguis ad diaphragma, hepar, ventriculum, viscera alia abdominalia, et membra foetûs inferiora. Ex arteriis omnibus ab aorta descendente emissus, specie unâ et qualitatibus aliis evidentibus gaudet sanguis. De sanguinis natura, hisce omnibus




omnibus in arteriis potest dici, dotes sanguinis matris coccinei æquè distare ab iis sanguinis foëtûs, ac dotes sanguinis matris coccinei differunt ab iis sanguinis ex arteriis umbilicalibus.

B

DE





DE SANGUINIS QUANTITATE PRO VASORUM RATIONE FOETUS.

xiv. Ad magnum, inter sanguinem foetus et respirantis, discrimen, cui animum hactenus advertimus, adjicienda est vasorum distentionis differentia.

xv. Si fluidi quantitas, in vasis viventium, sit major quam cum salute concordat, oritur ea conditio, *plethora* dicta.

xvi. Plethoræ multæ recensitæ fuerunt varietates, quæ et ipsæ inter se differunt. Speciem, quæ nominatur *plethora relativa*, quæque ad rem nostram pertinet, nos oportet solum contemplari. Consistit in vasis quibusdam,

dam, præ cæteris, distentis sanguine, dum hujus simul copia eadem manet.

xvii. Inter exempla plethoræ relativæ, minimè tamen pro morbo vel proclivitate in morbum habenda, potest describi plenitudo omnis corporis fœtûs, præter pulmones. Systematis sanguinei pars turgidior est, quàm in infante post inceptum munus respirationis ; et vix necessarium est, ex definitione plethoræ relativæ antea datâ, repetere, vasorum plenitudinem effici nec mole sanguinis nec abundantia auctâ, sed vario modo quo plùs distribuitur in partes certas, eodem tempore quo partes aliæ exinanitione afficiuntur.

xviii. Nuncupatur ventriculus cordis dexter, *cor pulmonum* vel respirationis. Hunc titulum, in corpore fœtûs, minimè vindicat sibi. Arteria pulmonalis, ut in adulto, ventriculo dextro exsurgit ; in eam immittitur sanguis ; ex qua, nondum in ramos pulmonales divisâ,  
pars



pars sanguinis, per ductum arteriosum, transit in aortam descendentem.

xix. Collabuntur pulmones foetus; nullum aëra continent cellulæ bronchiales; per arteriæ et venarum pulmonalium ramos et surculos, fluit sanguinis quantitas parca pro ea quæ per hos transit postea. Vasa aperta conservantur, ut apta sint quæ grave munus respirationis incipiant, simul atque edatur infans. Dum in utero viget, et ejus sanguis ope placentæ mutationes, quales in pulmonibus respirantis, subit, transmissione sanguinis liberâ per vasa pulmonalia non eget, sine qua adultus brevi perit. Ad foetum quid valeret hæc sanguinis circulatio; inter parturiendum, quantum incommodi non accideret foetui, haud minùs ac matri, ex aucta thoracis mole?

xx. Amplitudo thoracis ex omni parte minuitur; diaphragmate sursùm, intra margines costarum, protruso, minor fit altitudo; pariter ac, costis demissis, distantia inter sternum  
et

et vertebrae dorsi. Pulmonibus minuto thorace compressis, eorum expandi nequeunt vasa; sed ferè ex toto collapsa manent, haud secus ac cellulae bronchiales, quae, ante partum, nullum aëra, post autem, inhalatum, continent.

xxi. Cum primùm ex utero fœtus in lucem prolatus est, inter prima, quae observantur, conamina virium ejus infirmarum, apparet inspiratio. Musculi ad hoc munus dicati, fibris quàm maximè porrectis, extensione gaudent, quae contractioni veloci et validæ maximè favet. Enixè contrahitur septum transversum, dum musculi intercostales, simul se contrahentes, costas elevant, musculis omnibus aliis auxiliariis simul adjuvantibus, ad implendas aëre cellulas bronchiales. Aër adductus cellulas pulmonum implet. Eodem tempore, viribus ipsissimis quae thoracem amplificat, sanguis flumine in arteriam pulmonalem irruit, ejusque implet omnes ramusculos; dein cursum tenet



tenet in venas pulmonales, dum æquè turgeant sanguine, ac arteriarum surculi.

xxii. In vasis foëtûs pulmonalibus, quantitas minor sanguinis continetur, quàm in iis corporis respirantis. Impedimentis, ne dilatentur pulmones, amotis, et thorace amplificato, sanguis requiritur, qui vasa impleat, et dilatata conservet.

xxiii. Unde hic sanguis? ubi continetur? Vasis aliis sanguiferis foëtûs, per quæ distribuitur, harum plenitudinis causa et mensura. Hinc plethora relativa; quam, inter graviditatem, demonstrare, conati sumus

#### *DISTRIBUTIO*



---

*DISTRIBUTIO SANGUINIS FOETUS.*

xxiv. SANGUIS dotibus coccineis, ex lege ordinatâ, manu haud parcâ distributus, qui partes diversas corporis aptas reddat ad absolvendum munera quibus designantur, adeo necessarius est ut, sive nimius sive parcus, summam certè meretur attentionem ; quando facultates partium implicat maximè, per quas impetu insuefacto transmittitur, vel a quibus retinetur causis quæ moram dant flumini.

xxv. Dum, in corpore adulti, munera graviora stomachi, lienis, pancreatis, intestinorum et hepatis perficiuntur, et e massa sanguinis, viâ renum, completur secretio rerum nocentium haud minus necessaria, hæc, in foetu, vel nequeunt absolvi, vel conficiuntur gradu dispari ;

pari ; adeo ut nobis sit anceps an, in utrâlibet conditione, partes, sub simili nomine notæ, munera similia absolvant. Ad adultum sunt tanti ponderis ut, his impeditis, morbo laboret corpus ; repressis, pari passu collabatur ædificium. Munera sunt tamen, quæ demonstrare conabimur, ad fœtum non pertinere, et præsentia haud minus exitialia futura esse, quàm adulto essent diminutione vel cessatione.

xxvi. Non concitatur ventriculus fœtûs, ut ejus viribus concoquatur nutrimentum, ad explendas necessitates quibus constanter laborat corpus ; nulla est fluidi secretio in cavum ut dissolvat, vel in fluidum convertat, res collocatas. Modus alius a naturâ excogitatus est, ad desideria multa levandum, et subsidium impertiendum, quo meliùs corpori suo conveniat.

xxvii. Intra fines hujus tentaminis non venit, de hâc parte physiologiæ in fœtu sigillatim commentari. Nutritio fœtûs nos adhuc  
latet



latet et latebit donec eam illustraverit amplificata et uberior scientia.

xxviii. Nec esurit ventriculus foetus; nec cibos appetit. Adultus esurit, et incitatur ad alimentum assumendum quo levetur sensus ingratus. Haud ita in foetu: hunc enim sensum non experitur, intra uterum inclusus. Nihil vani facit natura: et si incitamentis ad exercitationes validas foetum instruxisset, dum vires, quæ ad has ritè perficiendum sunt necessariae, eodem tempore non datae fuerunt, sibi parum constitisset. Ex artificio intra abdomen, satis provisum est, ne placidam teneri foetus quietem perturbet sensus ille ingratus.

xxix. Per arterias ventriculi sanguis circulat parvus: transgrediens sufficit qui vasa pervia retineat, ut in promptu sint quæ accipiant citatum flumen, quandocunque requiritur transmissio liberior, ad concoctioni favendum. Dum exhalantibus ministrantur res necessariae

ad formandum, ex parte, materiem quam continet ventriculus, quæque, distendendo, ad fabricam stomachi evolvendum conducit; tanto sanguine non fruuntur arteriolæ, quantus, ad glandulas gastricas stimulandum, sufficiat; nec rebus, quæ debent suppeditari, gaudent glandulæ, ut secernatur menstruum quod in adulto secernunt. Deest et causa ad stimulandum ventriculum, et fons unde exsugantur res, sub novâ formâ componendæ, et associandæ in succum gastricum, glandulis ministris.

xxx. Inter viscera chylum parantia, ventriculus exstat princeps; chylificationis coadjutores sunt splen et pancreas. Defectum similem in quantitate sanguinis, ut in arteriis ventriculi, subsistere, colligi potest a consensu muneris inter ea viscera: aliàs probabitur argumentis ex alio fonte ductis.

xxxi. Motu valido non donantur intestina foetus, nec vi propellente, quibus pollent statim



tum post partum. In ea non impellitur chymum quod sanè agens ventriculus, adjuvantibus simul aliis chymificationis visceribus, e cibis concoxit, quantitate debitâ et naturâ idoneâ in ventriculum acceptis. Meconium tantum, omnem æqualitèr partem illinens, tenent. Unde ita quiescit tunica intestinorum muscularis? Unde est vis propellentis defectus? Magnâ ex parte, ex motu sanguinis languidiore in arteriis mesentericis.

XXXII. Imminutionis, in fluxu sanguinis, documentum adhuc insignius præbetur, si spectemus, nullam causam proferri, cur existeret abundantia, et quando inde mala orirentur. Ad quid valuisset idem transitus incoactus per intestina in fœtu, ac in adulto? quando horum motus non profuissent, sed potiùs nocuissent: cum fecissent, ut redderetur meconium, et inquinaret fluidum blandum, quo innatat fœtus. Manet illud, maximâ ex parte, in intestinis; infante edito, expellitur viribus naturalibus, adjuvante



adjuvante colostro quod e mammâ exsuxit infans.

XXXIII. Quanquam hæc argumenta ex convenientia, fundamento non lubrico inniti apparent, et favent opinioni fluxum sanguinis, per ventriculi, lienis, pancreatis et canalisi alimentarii arterias, esse in foetu minorem, quàm per arterias harum partium in adulto; validiora tamen ducantur ex circulationis in utrisque per venam portæ comparatione. In adulto sanguis viscerum purpuratus per surculos venæ portæ abdominalis in truncum unicum colligitur, a quo, per multos ramos, distribuitur in totam hepatis substantiam, ut principia suppeditet, quæ hoc viscus consociet. Valdè distat hoc hepatis munus ab eo ejusdem visceris in foetu. In hepar intrat sanguis venæ umbilicalis, atque, per lobum sinistrum distributus, facit, ut hic major sit, pro dextro, quàm post partum: sanguinem venæ portæ accipit, ex magna parte, lobus dexter. Quàm distat  
facilitas

facilitas, quâ moveat sanguis e venâ portæ abdominali per hepar, quando post partum liberior transitus, per venam portæ hepaticam, ei conceditur ; quando copia abundans, quæ in fœtu per venam umbilicalem venit, haudquam diutiùs in hepar influit, ad exclusionem quantitatis tam amplæ ex intestinis.

xxxiv. Comperiatur sanguinis mensura, quæ per partem ullam transit, quantitatemprehendendo quæ viâ arteriarum intret, vel quæ per venas decedat. Non modo in adulto inservit sanguis, qui in ventriculo, liene, pancreate, intestinis tenuibus et crassis fluitat, variis usibus coccinei sanguinis, sed alia etiam facit systemati haud minùs fructuosa. Purpureus e visceribus exit ; et, anteaquam ad sanguinis fontem accedit, circulationem per hepar conficit ; lustrationem accipit, naturis editis ex quibus fit bilis, ad usum machinæ animantium maximè accommodata. Bile promovetur assimilatio ciborum ; stimulantur intestina ; et  
fortassè



fortassè proveniunt aliæ, eæque magnæ, utilitates.

xxxv. In foetu, munus concoctionis non existit ; per intestina non impellitur chylus, ut, viâ absorbentium, corpus intret. Non requiritur bilis, quæ adjuvet assimilationem ciborum. In adulto, est necesse hæcce viscera validissimè se exercere ad chymum formandum, et corpori exinanito succurrendum. In foetu, hæ functiones nondum inceperunt. Si aliquâ vi secernente pollet hepar, vix memoratu digna est. In intestinis manet quicquid secernitur, meconio commistum, cujus, fortassè, partem haud exiguam constituit ; dum, in vesicâ felleâ, inest fluidum cujus dotes parùm valent.

xxxvi. Vix, aut ne vix quidem, secerni potest bilis. Ad hanc creandam requiritur, sanguinem valdè purpureum hepatis præberi. Satis in adulto de hâc re provisum est, sanguinem



nem hepatis impertiendo, qui, trajectus per intestina, purpureus pro eo cæteri corporis factus est. In fœtu, ut antea observavimus, sanguis, qui per vasa hepatis permeat, tingitur colore plus coccineo, quàm qui in partes cæteras corporis diffunditur. Tales dotes possidens, non aptus est, qui principia suppeditet ad comparandam bilem: et verisimile videtur, quicquid bilis eliciatur, a dextro hepatis lobo formari, per quem transit illa sanguinis pars, quæ, viâ venæ portæ abdominalis, venit.

xxxvii. Valdè differt in fœtu et adulto munus hepatis. In fœtu, natura minus studiosa videtur bilem secernendi, quam hepatis sanguinis copiam largiendi; quâ, præ cæteris corporis partibus, magnitudine augeat.

xxxviii. Requiritur, ut hepar, propemodùm ante ullam aliam in corpore partem, munus exercere idoneum incipiat. Quandocunquè vi inusitatâ per viscera abdominalia incipit sanguinis

sanguinis circulatio, pari passu incedit dissociatio sanguinis venæ portæ hepaticæ, et bilis formatio. Imò, vel ante munus concoctionis inceptum, incipit bilis secerni.

xxxix. De hepate tractantes, ad quantitatem sanguinis in arteriâ hepaticâ animum non adhibuimus ; sed, quibus causis minus sanguinis in arterias stomachi, splenis, mesenterii, diffunditur, iisdem itidem minus in arteriam hepaticam. Parte sanguinis hujus arteriæ in venam portæ hepaticam transgrediente, est necesse, admissionem, in fœtu, esse tanto difficiliorem, quanto facilior transitus datur sanguini, viâ venæ umbilicalis, in vasa hepatis.

xl. Argumenta, haud minùs valentia, nos inducunt ut concludamus, renes non agere vitam magnâ, quàm in adulto. Parva continetur fluidi pars in vesicâ fœtûs vel maturi urinariâ. Plerumque non incitantur fibræ vesicæ musculares ad hanc expellendam, dum  
tempore



tempore idoneo post partum. Hanc parvam fluidi partem renes, dum in utero latet foetus, conficiunt. An nobis est considerandum sanguinem foetus non continere naturas quæ ad discernendum urinam incitent renes? an potius verisimile apparet, sanguinem non manare per arterias renales flumine citato ac in adulto?

XLII. Arteriis umbilicalibus tribuenda est causa cur adeo minuitur celeritas undæ sanguineæ; quæ faciunt ut, viâ harum arteriarum, derivetur sanguis. Hæ sanguinem in aortâ descendente, ex naturâ non aptum qui facilè transeat per partes musculares vel fabricâ glandulari dotatas, placentam versus diducunt.

XLIII. Ecce conditionem viscerum in abdomine foetus. Munus concoctionis non perficit ventriculus; non incitatur ad inanes conatus. Non requiritur a hepate ut copiam bilis edat, quæ necessaria est quamprimùm concoquere

D

incipit



incipit ventriculus. Qualescunque sint lienis functiones et usus, hisce pari ratione obstat. Succum proprium non secernit pancreas, donec illo opus sit chymum, stomacho demissum, diluere. Viribus tantum propellentibus fruntur intestina quæ, ad distribuendum meconium æquabilitèr, sufficiant. Validè non secernunt renes. Languor virium secernentium, omnibus in visceribus abdominalibus, est communis, haud secus ac contractio fibrarum musculosarum. Apparent esse parata ad complendum consilia fructuosa post partum. Suffulcitur et ædificatur corpus teneri infantis, viribus, cuique parti propriis, nec exercitatis donec postulentur, et confici queant cum fructu systematis, cujus munera utilissima constituunt.

XLIII. Partu edito, effici incipiunt hæ mutationes ; haud minus, ad novitatem vitæ, necessariæ, quàm inexercitæ.

*DE*

---

*DE CAUSIS, QUÆ ORIGINEM DANT HUIC DIVERSI-  
TATI INTER MUNERA VISCERUM ABDOMINALI-  
UM IN FOETU ET ADULTO.*

XLIV. Mutationis sic subitaneæ, naturâ insignis et utilis, causæ cum attentione summâ perpenderi merentur.

XLV. Quando ad lucem prodit infans, aëra in pulmones accipit ; respirare tentat ; neque intermittit donec, vitâ extinctâ, relaxent musculi inspirationis iterum non contracturi.

XLVI. Quo meliùs absolvitur respiratio in infante nuper nato, eo minor est vis quâ cor sanguinem impellit in arterias quæ ducunt ad placentam ; decrescit vis hujus, donec flumine  
adeò



adeò debili in iis arteriis labatur sanguis ut, admoto digito, percipi non queat.

XLVII. Viâ venæ umbilicalis cunctantèr redit sanguis ; brevi, vel funiculo umbilicali nondum ligato, motus ex toto cessat. Naturalis sanguinem funiculi inhibendi modus, humani generis foetui, rarissimè conceditur. Annon funiculi ligatio semina morborum in corpus infantile spargat, quibus non sunt obnoxii animalium catuli ? Illis, mutationem efficit natura ratione suâ ; cur non vestigia persequamur quâ exemplum quàm accuratissimè consecrari non noceat ?

XLVIII. Media, inter placentam pariter ac viscera abdominalia et cor, sunt in foetu vasa hepatis. Inter viscera abdominalia tantum et cor, media sunt in adulto. Sanguis, in infante recens nato, ne per vasa umbilicalia perlabatur impeditus, faciliùs fluit per viscera abdominalia ; vel, ut accuratiùs dicamus, e causis



sis paulò pòst memorandis, quæ, in infante respirante, agunt, per vasa abdominalia expeditiùs fluens, per vasa umbilicalia fluere cessat. Sunt quidem in fœtu causæ, quæ faciunt, ut sanguis faciliùs per vasa umbilicalia permanet, quàm per vasa abdominalia. In adulto, faciunt ut sistatur, ex toto, hic cursus, et novus incipiat.

XLIX. Causæ, quæ, in infante qui respiravit, expediunt sanguinis motum per viscera abdominalia, a nobis cognoscantur, si mutationes, quæ post inceptam respirationem eveniunt, ritè perpendamus.

L. Causæ, quæ in fœtu faciunt partem sanguinis per vasa umbilicalia faciliùs fluere, constabunt, si naturam sanguinis ab infante qui nondum spiritum hauserit, animo attento perlustremus.

LI. Sanguis in descendente fœtûs aortâ, tantum

tum uti suprà ostendimus, colore distat a sanguine in materna placentæ parte, quantum purpureus sanguis maternus à materno coccineo. Non nobis satis liquet, qualem effectum, in viscera abdominalia, producat talis foetus sanguis. Novimus nullius animalis respirantis sanguinem tantillâ vi stimulandi præditum. Nobis tamen satis notum est, quantum vis musculorum contrahens pendeat ex naturâ coccineâ, quantumque actio organorum secernentium.

LII. Naturam sanguinis, qui fluit in arteriâ coeliacâ, mesentericis et renalibus, causam circulationis tardæ fortassè nobis fas est habere. Vix excitatur vis muscularis tubi intestinalis: hic igitur languidè se contrahit, et meconii stimulum tolerat. Ventriculus, sanguine altè coccineo transmisso non stimulatus, succum gastricum nondùm præbet. Ejusdemmodi sanguinem vehit arteria hepatica, non aptum, qui stimulet hepar ut bilem secernat. Lien,  
pariter



pariter ac pancreas, parùm stimulat. Renes vixdùm incitati parcissimè tantùm secernunt. Omnibus enimverò his foëtûs visceribus etiamnum desunt stimuli, quo latentes vires excitentur.

LIII. Arteriis iliaticis internis prope partem inferiorem abdominis, exsurgunt arteriæ umbilicales. Nullo alio loco commodiùs oriri possent, ut impetum sanguinis acciperent a corde, et averterent ab arteriis abdominalibus. Quando sanguis, cum fructu, distribui non potest per vasa abdominalia, viam patulam invenit in arterias hypogastricas, quæ conducant ad placentam. In placenta non, ut in visceribus abdominalibus, reperiuntur vasa adeò convoluta, nec glandularis fabrica.

LIV. His causis, uti sanguis, per placentam, faciliùs transit; ita, per arterias viscerum abdominalium, difficiliùs admittitur.

CON-



---

*CONSECUTIONES ALIÆ QUÆ A SANGUINIS NATURA, QUANTITATE ET DISTRIBUTIONE EVENIUNT, QUÆQUE FACULTATEM IN FOETU SENTIENDI, VIM MUSCULORUM HUIUS CONTRAHENDI GLANDULARUMQUE SECERNENDI, RESPICIUNT.*

LV. INCREMENTUM foetus citum non latuit physiologos. Spatio novem mensium, magno-perè increscit. Ad partes evolvendas, et incremento favendum, nihil plùs conducit, quàm certa vasorum plenitudo. Sanguis abundanter ministrat materiem, ex qua fiant singulæ corporis partes.

LVI. Hunc in finem, plena sunt foetus vasa ; ut partes deinceps corporis, spatio tam brevi evolvantur.

LVII. In

LVII. In adulto, talis non potest esse plethora, quin proclivitatem ad morbos det. In fœtu hæc proclivitas, præ sanguinis naturâ et proprietatibus, abest, itemque morbi, qui hinc oriantur.

LVIII. Esse non potest plenitudo, quin partes eas comprimat, ex quibus, sicut fonte, sensus derivatur. Cerebri vasa urgentur flumine sanguineo, ejusque vires imminuuntur. Non potest, quin nervi, qui omnes oriuntur ex cerebro, pari ratione afficiantur; et, magnâ ex parte, judicandi facultates hebescant.

LIX. Hinc ratio, quare sensus fœtûs externi, stimulo nisi valido, nequeant affici. Si naturæ sanguinis propriæ accedat cerebri compressio, non potest, quin valdè differant sensus externi ab iis jam respirantis.

LX. Non aptus est, qui radiis lucis stimuletur, nervus opticus; neque enim verò hi fœtum



in utero possunt pertingere ; sed etiamsi possent, vix sensum moverent in organo cujus nervorum fibrillæ excitantur sanguine naturâ adeò distante ab eo in adulto.

LXI. Haud aliter afficiuntur nervi organi odoratûs. Nisi hujus nervi æquè deesset sensus, foetus fortassè fluidum amnii, idque aliquandò putridum, nares implens pati non posset.

LXII. Ut nares foetûs replentur liquore amnii, sic os et pharinx. Nullum humorem tolerare possunt hæ partes animalis, quod respiravit : nam his applicatus ad molimina concitat, per quæ vel expuatur vel devoretur. Foetum ingurgitare partem liquoris amnii, negari non potest ; sed rarò hoc accidit. Diù tolerant pharinx et palatum stimulum liquoris hujus. Explicari potest hæc tolerantia tantùm, ex sensu multò minore, eo quo postea fruuntur.

fruuntur. Oriri potest minor sensus præcipuè ex naturâ sanguinis, per papillas linguæ, palatum et pharyngem, distributi: quo fit, ut parùm hoc fluido incitentur; id, cui etiam multùm favet conditio cerebri ipsius.

LXIII. Communem, iisdemque ex causis, sortem cum gustu habet auditus. Eane prætereà tympani membrana est, ut acceptos tremores, per cavum tympani, propagare possit in labyrinthum sic, ut sonos excitent? Quid continetur in cavo tympani ipsius, et tubo Eustachiano? Aër, an potiùs fluidum, quale in faucibus et naribus continetur?

LXIV. Fœtûs membrorum motus, haud sine magno tam hujus quam matris commodo, languidi sunt, præ fibris musculosis nondùm, ad se enixè et frequenter contrahendas, validis. Fœtui, sanguine onusto, itemque matri, quid non evenisset mali conatibus fibræ muscularis, quos excitâset sanguis æquè potens, ac sanguis maternus;



ternus ; si fuisset commeatus inter vasa matris et foëtûs ; et si venæ umbilicalis sanguinis vim stimulantem non adhuc magis, in cordis auriculis, temperaret sanguis purpureus. Sanguis valdè coccineus, per corpus foëtûs manans, quietem interrupisset, quâ, dum in utero, fruïtur. Motus validi et præmaturi, qui inde orti essent, fecissent, ut abortaret mater.

LXV. Si hepar, renes et aliæ glandulæ in abdomine, in eâ sint conditione quam memoravimus, et si sanguis talis sit qualis hanc conditionem producat, non potest quin, simili itidem statu sint non solum cæteræ glandulæ corporis, sed etiam arteriæ, quæ humorem exhalant. Hæc glandularum corporis conditio, foëtûs incremento multùm favet ; et, enimvero, præcipua causa est, unde tam citò in utero increcat.

UNDE

---

*UNDE MUTATIONES, QUÆ IN CORPORE POST  
PARTUM ORIANTUR.*

LXVI. SIMUL ut, mensibus graviditatis progredientibus, partes fœtûs evolutæ sunt, et in eam molem et firmitatem increverunt, quibus idoneæ fiant ad ea munera fungenda, quæ, post partum, ad vitam sustinendam ac alendam necessaria sint, motus vehementes in matre excitat, quibus excludatur.

LXVII. Per tempus graviditatis vitâ, haud multùm diversâ ab eâ vegetabilium, fruitur. Simul autem ut natus, appetitus et desideria animalibus propria, persentiscit ; quæ identidem importunè cupiunt, quibus expleantur.

LXVIII.



LXVIII. Quando, per nisus uteri et vires alias parturiendi adjuvantes, in lucem editur foetus, in pulmones aëra statim haurit, quo efficitur mutatio ad munera necessaria, quæ inchoare et perpetuare infans cogitur.

LXIX. Musculis inter costas, et septo transverso, sese contrahentibus, amplificatur thorax, et aëre hausto distenduntur pulmones; vicissimque his partibus relaxatis, simulque musculis abdominis se contrahentibus, compressi pulmones aëris partem reddunt. Musculi quibus vicissim spiritus trahitur et emittitur, per vitam se contrahere vicissimque relaxare perstant. Sanguis purpureus ferè totus incipit nunc distribui in pulmones per arteriam dextro cordis ventriculo ortam, et in extremis surculis hujus, qui super vesiculis aëre impletis sese dispergunt, sibi attrahit naturas, quæ eum coccineo colore æquè imbuunt, ac in aliis ejusdem generis animalibus.

LXX.

LXX. Haud diutiùs prodesset placenta ; licèt, absque ope ejus, non existeret fœtus in utero. Magis et magis languescit pulsus in funi ; denique micare cessat. Munus, quod a placenta perficiebatur, nunc suscipiunt pulmones. Hæc mutatio omnes ferè teneri infantis functiones mutat.

LXXI. Efficiuntur hæ, in muneribus partium diversarum, mutationes causâ, quæ incipit ex primâ inspiratione. Tantæ sunt hæ mutationes, ut utile sit versare, quo modo efficiantur ; et non habere pro causâ, quæ non eas efficere valeat.

LXXII. Res propriæ, quæ ad fœtus sanguinis naturam, quantitatem et distributionem, respiciunt, satis jam explicatæ sunt. Nunc tantum nostrum est investigare res, quæ pertineant ad infantem, qui respirare inceperit ; et exponere, quomodo, sanguine, mutatis tùm  
respirandi



respirandi organis, purificato, cæterorum organorum munera mutantur.

LXXIII. Primus effectus musculorum inspirationis sese contrahentium est thoracem, ex omni parte, amplificare. Thorace amplificato, in pulmones derivatur sanguis, qui antea artérias venasque cæteri corporis implebat et non-nihil *PLENIORES* faciebat.

LXXIV. Aër, copiâ datâ, cellulas bronchiales intrat; eique sanguis arteriæ pulmonalis objicitur. Vitalis nunc humor, non diutiùs per devia itinera partim derivatus, totus in pulmones distribuitur; et, coccineum colorem simulque novas vires adeptus, fit ad nova munera, eaque majora, idoneus.

LXXV. Per venas pulmonales coccineus redit sanguis, naturâ stimulante inusitatâ præditus. Auriculam sinistram incitat, ut sese contrahat. Solito validiores fiunt contractiones ejus. Viribus

ribus autem minùs validis pollet auricula dextra, incitata sanguine magnâ ex parte purpureo, multoque minùs stimulante: hinc multo minùs fortes ejus contractiones, quàm eæ auriculæ sinistrae. Valvula foraminis ovalis inter eas posita, et, tempore parturiendi, foramen ex toto obtegens, pressiùs hujus margini applicatur, proptereâ quòd auricula sinistra validiùs se contrahit, quàm auricula dextra. Proclivitati ad coalescendum favet valvula margini foraminis ovalis toties appressa, quoties, sanguine coccineo e pulmonibus conducto, ad contractionem incitantur auriculæ sinistrae fibræ musculares.

LXXVI. Sanguinis, funem umbilicalem relic-  
turi, tardatio indicatur vi pulsûs gradatim  
minutâ. Decrescit sanguinis, pro vasorum  
ratione, quantitas. Ad cursum sanguinis  
mutandum multùm confert hæc imminutio  
plenitudinis. Ut, ubi sanguine ad extremos  
surculos adeò impulso ut hæmorrhagiam pro-  
F ducat,



ducat, exinanitione copiosâ minuitur vis arteriarum, et impetu diminuto fluit sanguis vasa dirupta et patula versus, sicque illis occasio datur ut sese contrahant et sana fiant ; sic, in foetu, sanguinis, ubi in eo est, ut cursum per arterias umbilicales finiat, derivatio in pulmones plenitudinem arteriarum cæteri corporis minuit ; vasa evacuat sanguine abundante, et cordi impertitur minus fluidi, quod, vasa extrema versus, impellatur.

LXXVII. Quando iterum, per aortam descendentem, fluit non tantum sanguis a ventriculo sinistro, sed etiam is a ductu arterioso, urgetur per corpus et per vasa umbilicalia viribus duplicis cordis. Sed sanguis, qui solebat ductum arteriosum transire, thorace amplificato, per ramos arteriæ pulmonalis, viribus ventriculi dextri cordis, in pulmones distribuitur ; et, per vitam, eâdem viâ fluit. Sanguine prætereà, qui impleat vasa pulmonum et distendat, ab aorta derivato, est necesse momentum

tum circulationis, in vasis extremis, minui. Nequeunt expandi aortæ rami et ramusculi ut antea, nam, præter quantitatem sanguinis, pro vasis, minutam, vires, quibus sanguis urgetur, pro iis corporis multum minuuntur. Non diutiùs ventriculi ambo impellunt sanguinem ; sed distribuit sanguinem coccineum ventriculus sinister, ventriculo dextro haud diutiùs adjutus.

LXXVIII. Sanguinis, in fune, momentum minus et minus validum evadit. Per venam umbilicalem, ad vasa hepatis, venit minus sanguinis. In arteriam cœliacam et mesentericas fluit sanguis in pulmonibus mutatus, et, pro purpureo, coccineus. Plus quàm antea incitantur hæ arteriæ, et celeritate majore urgent sanguinem. Pro majore minoreve momento sanguinis ex venâ umbilicali, venæ portæ abdominalis sanguini plus minus obstat, ne hepar intret, et per id distribuatur.

Demumque



Demumque circulatio per abdomen excipit eam per placentam.

LXXIX. Nunc incipit bilis secretio ; diffusus, per arteriam hepaticam, sanguis coccineus et stimulans ad bilem secernendam hepar urget ; dum, per venam portæ abdominalem, ad hepar conducitur sanguis, ex quo secernatur. Bilis, abundantè secreta et in duodenum conducta, intestina movet. Intestinorum, cum in ea abundantè permeet sanguis coccineus, fibræ musculares sunt eâ conditione ut bile incitentur, earumque contractione meconium redditur. Paulò post partum lac in ventriculum infantis accipitur, et novis hujus receptaculi viribus facillimè concoquitur. Pancreas nunc succum secernit. Lien munus, quodcunque sit, explet. Bibulis vasis nunc absorbetur chylus, et in sanguinem conducitur. Intran in corpus res, quarum aliæ nutritioni et incremento favent, aliæ, quippe naturâ acres et salinæ, ideoque inutiles et nocivæ, eliminantur.

nantur. Iis acribus et salinis incitati, ac sanguine coccineo, urinam secernere incipiunt renes. Lotium transmittunt ureteres in vesicam, cujus, post tempus idoneum, contractione redditur.

LXXX. Plenitudine amotâ, et sanguine in pulmonibus salutaritèr mutato, apta fiunt cerebrum et sensus externi ad munera diversa, quæ ad animalis vitam sunt necessaria.

LXXXI. Omnes partes sanguine æquè stimulante fruuntur. Omnes muneribus funguntur, ad quæ, dum in utero fœtus vivit, nec validæ sunt nec proclives.

LXXXII. Pro defectu sensûs et pro vitâ ei vegetabilium simili, quæ fœtibus communia sunt, infans natus voluptates et dolores acutè sentit. Sensus externi, antea latentes, nunc excitantur. Oculi, palpebris apertis, lucem admittunt : odora nunc sentiunt nares : sapidis afficitur



citur lingua : et conatus, quibus infans mam-  
mam sugit, indicant, quàm gratus lactis sa-  
por. Tremoribus aëris statim, vel saltèm  
brevis, impellitur tympanum, et ab infante so-  
ni percipiuntur. Magis acutus fit sensus ubi-  
que corporis. Glandulæ hac ætate necessariæ,  
æqualitèr omnes, sua munera exercent.

F I N I S.

